

SEQUITUR QUAESTIO TERTIA.

Quaeritur utrum demones libere peccaverunt. Et videtur quod non, quia tunc malus angelus peccasset volendo aliquid iniuste. Consequentia patet per Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 4: „nullus iustitiam deserit nisi volendo quod non debet”. Sed consequens falsum, quia, si angelus peccavit volendo quod non debuit, quaero utrum illud, quod voluit, apparuit sibi commodum, an non. Secundum non potest dici, quia, secundum Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 2, non potuit velle aliud, nisi quod aliquo modo apparuit sibi commodum; ergo illud quod voluit, prius apparuit sibi commodum. Et certum est quod non fuit sibi commodum, ergo error praecessit suum peccatum; ergo poena <praecessit> culpam, quia fuit deceptus, et omnis deceptio est poena.

Secundo, si peccavit, ergo potuit vitasse peccatum. Consequentia patet per Augustinum, 3 *De libero arbitrio*, capitulo 28 [309a]: „nullus peccat in eo quod vitare non potest”. Falsitas consequentis probatur, quia vel postquam peccavit, et hoc non, quia post necesse fuit eum peccare; nec tunc, quia tunc simul peccasset et caruisset peccato; nec ante, quia ante non potuit melius facere quam fecit, quia ita bene fecit sicut illi qui steterunt. Ergo non potuit melius facere nec cavere quam fecit; igitur etc.

Tertio, quia aut angeli mali speraverunt se posse consequi quod optabant, vel non. Si non, ergo non voluerunt illud ex electione, quia electio non est impossibilium, 3 *Ethicorum*. Si sic, ergo fuerunt decepti, sicut prius argutum est.

Quarto sic: tunc omnes peccassent male volendo. Consequens est falsum, quia tunc primus peccasset male volendo solum ex mala volitione. Consequentia patet, quia non sunt aliae potentiae in angelo quibus potuit peccare. Falsitas consequentis patet, quia angelus primus fuit aliis occasio peccandi, sicut legitur *Apocalypsis*, 12, ubi dicit quod draco cadens de coelo traxit secum tertiam partem stellarum. Sed si peccasset sola voluntate, non fuisset aliis occasio peccandi, quia volitionem talem alii non novissent. Similiter videtur quod nullo modo aliis fuit occasio peccandi, quia tunc omnes alii peccassent ex tentatione, cuius oppositum dicit Augustinus in *Enchiridion*.

Quinto sic: si angelus malus peccavit male volendo, ergo, cum in illa mala volitione non fuerit creatus, movit se ad sic volendum, ergo antequam sic voluit, voluit se ita velle. Quaero tunc utrum per volitionem primam; Et tunc, per primam volitionem qua se peccare voluit, voluit peccare; sed prima sua volitio fuit naturalis; ergo volitione naturali voluit se peccare; ergo volitio naturalis fuit mala. Si movit se ad volendum volitione alia a prima, et illa fuit mala, ergo movit se ad illam quadam alia volitione. Et sic vel erit processus in infinitum, vel dabitur quod prima volitio naturalis fuit mala.

Confirmatur ista ratio ex processu Anselmi, *De casu diaboli*, capitulo 12, ubi dicit: „necesse est fateri, quia nihil potest per se velle qui nihil vult”, et „quicquid movet se ad volendum, prius vult se ita movere”. Ergo, si malus angelus movit se ad male volendum, prius voluit se male velle, quam male voluit. Quod est impossibile.

Sexto, si angelus malus movit se ad male volendum, ergo aliqua volitione praecedente malitiam; sed omnis volitio quae praecessit malitiam in angelo fuit voluntas recta; ergo per voluntatem rectam movit se ad peccandum. Confirmatur ratio, quia per Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 15: „angelus non fuisset debitor iustitiae, nisi iustitiam a Deo accepisset”; ergo

iustam volitionem [309b] accepit a Deo; ergo omnis volitio ante peccatum fuit iusta; ergo, si movit se per volitionem ad malam voluntatem seu ad malitiam, oportet imaginari quod per iustam volitionem movit se ad volendum iniuste; quod est impossibile; ergo etc.

Septimo, si angelus peccavit, quaero utrum praescivit se aeternaliter debere puniri pro peccato, an non praescivit. Si praescivit, ergo sic peccare non potuit, quia non potuit velle unde miser esset, sicut patet per Anselmum, ubi supra, capitulo 12. Si non, praescivit hoc, contra: praescivit quod, si peccaret, puniretur, sicut patet per Anselmum eodem libro, capitulo 12, vel ergo credidit puniri poena aeterna, vel temporali. Si aeterna, stat argumentum. Si temporali, erravit, et sic poena praecessit culpam. Similiter, si credidit quod debuisset tantum puniri temporaliter, ergo credidit peccatum suum fore veniale, si peccaret; ergo erravit sicut prius antequam peccavit. Et similiter Deus iniuste, ut videtur, egisset cum eis dando praeceptum, nisi demonstraret quae poena sequeretur transgressionem praecepti. Similiter videtur irrationabile quod tantum lateret angelum de conditionibus suae naturae, quod nesciret se semper fore miserum, si in peccatum semel caderet, et si hoc sibi constabat, nullo modo peccare poterat, nisi posset velle miseriam.

Ocatvo, si angeli peccaverunt omnes occasione unius, igitur illi viderunt eum prius peccasse. Sed nullo momento dividitur poena et culpa, ergo statim viderunt eum privatum gratia et in poena; ergo nullo modo habuerunt ab eo occasionem peccandi, sed magis cavendi.

Nono sic: si angelus potuit peccare, utrum ergo peccare potuit in primo instanti suae creationis, an non, sed post primum instans. Primum non potest dari, tum quia sic nunquam fuisset bonus, et sic nunquam cecidisset a bono habitu, tum quia, secundum Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 12, creatura non potest habere primum actum nisi a Deo. Si ergo in primo instanti fuisset malus, factus fuisset malus a Deo, tum quia statim in peccando fuit corruptus in naturalibus et depraesus in libertate arbitrii, secundum quod dicit Magister, libro 2, distinctione 7, et sic, si peccasset in primo instanti, simul fuisset integer in naturalibus et corruptus vel depressus. Si autem concedatur quod non potuit peccare in primo instanti suae creationis, sed post tantum, contra: aut est dare primum instans in quo potuit peccare, vel non. Si sic, sit 'a'. Tunc inter instans 'a' et tempus creationis fuit medium tempus; ergo in illo toto tempore medio fuit impeccabilis, quod non apparet rationabile, tunc enim esse dare in[310a] finita tempora media, quorum nullum sufficeret ad deliberationem vel electionem angeli. Si vero non sit dare primum in quo potuit peccare, ergo ante illud in quo peccavit potuit peccasse, et ante illud aliud adhuc. Et sic in infinitum.

Praeterea, Christus meruit in primo instanti suae conceptionis; ergo angelus potuit peccare in primo instanti suae creationis.

Praeterea, anima pueri nunc contrahit peccatum in primo instanti suae infusionis, ergo illa anima fuit mala in primo instanti; igitur et angelus.

Praeterea, homo potest peccare in primo instanti sui esse, ergo et angelus. Probo antecedens, quia peccet anima aliqua separata extra corpus et habens praeceptum. Ponatur quod ipsa peccante actualiter uniatur corpori et sit homo; tunc homo iste peccat in primo instanti suae creationis. Cuius probatio est, quia voluntas huius hominis peccat; ergo homo iste peccat.

Praeterea, angelus in primo instanti suae creationis habuit cognitionem boni et mali, et perfectam voluntatem et aequae faciem ad volendum sicut intellectum ad cognoscendum, nec

cognovit per discursum, nec componit, nec dividit, sicut multi dicunt; ergo in primo instanti potuit bene, vel male velle.

Decimo sic: angelus nunquam cecidit a iustitia sua quam habuit; ergo nunquam peccavit. Consequentia patet, quia, si non accepisset iustitiam et ab ea cecidisset, nunquam fuisset debitor iustitiae, secundum Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 3. Et si nunquam fuisset debitor iustitiae ad servandam eam, nunquam peccasset; igitur, quia nunquam accepit iustitiam, nunquam peccavit. Sed quod nunquam accepit iustitiam probatur per Augustinum, 12 *Super Genesim* capitulo 34, ubi dicit quod diabolus est continue impius et mente cecus: non ex eo quod acceperat cecidit, sed ex eo quod accepisset, si Deo subdi voluisset. Ex hoc arguitur sic: diabolus non cecidit ab aliquo quod habuit, et cecidit a iustitia; ergo iustitiam non habuit. Vel aliter sub hac forma: non cecidit ab aliquo quod habuit; ergo nunquam cecidit a iustitia; ergo nunquam accepit iustitiam; ergo nunquam deferendo iustitiam peccavit. Quod est propositum. Consequentiae intermediae patent sicut prius.

Praeterea, undecimo, si angelus peccavit male appetendo, quaero quid fuit illud quod deordinate vel iniuste appetiit? Et videtur quod est aequalitas Dei, propter illud *Isaiae*¹ 14, quod dicitur ex persona Nabuchodonosor, et in figura diaboli: *in coelum ascendam, et supra astra coeli exaltabo solium meum*. Quod, quia non potest intelligi de coelo empyreo, quia in illo creatus erat, oportet quod intelligatur de coelo [310b] Trinitatis, quod est excelsitudo divinae maiestatis. Sed contra illud est quod angelus scivit hoc sibi esse impossibile. Unde, 1 *Super Genesim*, capitulo ultimo, dicit Augustinus quod Adam, diabolo suggerente, quando audivit quod primi parentes forent sicut Dii, nullo modo credidit, si iam spirituali mente praeditus erat. Sed constat quod angelus spirituali mente praeditus fuit; ergo se fieri aequalem Deo impossibile scivit.

Ad oppositum est catholica fides et Augustinus, *Super Genesim*, et Anselmus, *De casu diaboli*, per totum, et Magister, *Sententiarum*, libro 2.

Ad quaestionem dicendum quod sic, quia sequitur: peccavit, ergo libere peccavit. Sed quomodo peccavit angelus, et quid peccando petiit, et an peccatum primi angeli fuit peccatum omissionis an commissionis difficile est videre. Tamen ad praesens dico quod probabiliter potest poni modus iste, scilicet quod omnes angeli fuerunt creati in gratia, secundum doctores communiter, licet Magister dicat oppositum, libro 2, distinctione 3, capitulo 5 et in hoc non tenetur. Creati enim fuerunt in cognitione Dei et sui, et sciebant quid debebant velle et quid respuere. Boni igitur cognoscentes se esse factos a Deo per cognitionem naturalem, et existentes in gratia, inceperunt diligere Deum et ei de sua tam notabili productione regratiari, propter quam dilectionem meruerunt de congruo suam beatitudinem et suam confirmationem. Mali vero, econtrario, suam nobilitatem considerantes, in Deum sicut in auctorem suae bonitatis non referebant, nec ei assurgebant, sed absolute in consideratione suae nobilitatis persistebant, et perfruebantur seipsis, delectati de propria nobilitate; et nulli alteri de eius bonitatis efficacia regratiantes, sibiipsis attribuebant bonitatem suam, et negantes aliquid esse ipsius causam, quod Deus solus iuste potest facere et vere de seipso. Propter quod angeli cadentes, quia seipsis fruebantur, et in seipsis delectabantur, et non referentes suam bonitatem per gratiarum actiones in Deum, dilligendo illum super omnis, ideo dicuntur aliquid proprium Deo sibi usurpasse, et sic quodammodo interpretative

¹ Isaiae] Esaiae

Dei aequalitatem appetisse, quia in hoc quod voluerunt delectari de se, non referendo se ad aliquid aliud sicut in causam, voluerunt illud quod solus Deus potest velle licite, cuius esse nihil respicit pro causa. Et sic peccatum eorum multiplicem habuit deformitatem, quia, considerando bonum quod a Deo acceperant, et omissionem quam fecerunt de regratiando auctori eorum – quod peccatum potest vocari ingratitude, quae est radix omnium vitiorum –, pensando et considerando actum quo peccaverunt, [311a] et malitiam qua se dilexerunt absolute ibi insistendo, posset dici peccatum eorum libido. Potest etiam vocari superbia, quia fuit amor propriae excellentiae inordinatus. Nam amare propriam excellentiam nullum peccatum est, cum virtuosus et beatus hoc faciant, sed inordinate propriam excellentiam amare est peccatum, et superbia dici potest. Ergo secundum ista dici potest quod peccatum angelicum non fuit appetitus alicuius naturae habitae nisi interpretative, sed amor deordinatus vere habitae.

Sed contra hoc videtur dictum Anselmi, *De casu diaboli*, capitulo 6 et 25, ubi, inquirendo quid fuit illud quod angelus appetiit, dicit sic: „quid illud fuit non video, sed quicquid fuerit, sufficit scire quod fuit aliquid ad quod proficere et ad quod crescere et pertingere potuerunt, quod non acceperunt, quando creati fuerunt, ut ad id suo merito proficerent”. Ergo secundum eum appetierunt aliquid quo caruerunt, et aliquid pertinens ad beatitudinem, quia secundum eum illud debeant postea per meritum accepisse. Et tamen, 4 capitulo, dicit quod angelus peccando aliquid voluit quod Deus illum velle non voluit. Ex quibus duobus concluditur quod Deus non voluit eum velle illud quod debuit meruisse, et tamen certum est quod voluit voluntate praecepti quod illud meruisset. Quia aliter non peccasset in non merendo; igitur voluit eum aliquid mereri, quod tamen noluit eum velle, quod tamen apparet omnino irrationabile. Unde dicere quod nihil appetierunt nisi illud ad quod proficere debuerunt ex merito suo, et tamen quod voluerunt aliquid quod Deus non voluit eos velle, non videtur rationabile. Unde dictum Anselmi non intelligo illo modo, nisi dicatur forte quod angelus peccavit volendo beatitudinem deordinate, quia voluit habere beatitudinem ex solis naturalibus sine gratia, non tamen a se, sed a Deo. Et sic dicit sanctus Thomas, quinto articulo quarti libri. Et in hoc autem quod appetiit habere finalem beatitudinem sine auxilio divino et sine divina gratia ex solis naturalibus, appetiit quodammodo aequalitatem Dei per similitudinem, quia hoc est Dei proprium, scilicet beatificari per seipsum. Unde sive dicatur ista via, sive alia, parva cura est, quia veritatem nosse non possumus nisi per revelationem.

Ad primum igitur argumentum dici potest quod non praecessit aliqua notitia erronea, sed ex sola visione Dei et sui et aliorum angelorum potuit appetere deordinate beatitudinem, sicut dicit secunda via. Vel potuit diligere se sine relatione ad Deum sicut dicit prima via. Si diceretur aliter, scilicet quod peccatum primi angeli fuit ommissio et negligentia considerandi, tunc fuit talis ordo in peccato suo: primo omisit considerare naturales leges a Deo sibi praeceptas; secundo, quia, sicut omisit sic considerare, incidit in iudicium erroneum; et tertio, in amorem vel appetitum deordinatum, et tunc non facit difficultatem an appetierit possibile an impossibile, quia error sequebatur peccatum omissionis, licet praecederet peccatum positivum. Et tunc posset dici ad argumentum plane concedendo quod illud quod appetiit apparuit sibi commodum, et ideo fuit deceptus per negligentiam utendi cognitione habituali sibi indita a Deo.

Sed contra istud est quod talis negligentia non potuit esse in angelo, nisi ex nimia intentione circa bonum aliquod intelligendum, propter quod distraheretur a consideratione tali et collatione legis sibi datae. Talis igitur attentio voluntaria fuit, non casualis, quia tunc a casu peccasset. Et si fuit voluntaria, tunc sic volendo illud attendere fuit peccatum primum.

Quantum ad istam difficultatem, facilius est evadere dicendo quod volitio, vel amor potuit esse sine dictamine quocumque praecedente et sine notitia quacumque complexa.

Unde, apprehendendo beatitudinem, potuit statim prorumpere in talem actum voluntatis quod ex se foret beatus, sed tunc appetisset impossibile. Si dicatur prima via, illa evadit difficultatem de appetitu impossibili, similiter de errore praecedente culpam, quia ex sola notitia potuit inherere sibiipsi amore, non reddendo Deo gratias de conditionis beneficio.

Ad secundum dico quod illa forma generalis est de quocumque peccante, quod peccat antequam peccet, vel peccat in eo quod vitare non potest. Ideo dicendum est quod haec propositio est concedenda: 'omnis homo qui peccat, peccat in eo quod cavere non potest'. Sed ad istam de praeterito, quando quaeritur an potuit cavisse peccatum quando peccavit an non, potest dici quod ista: 'potuit cavisse quando peccavit', est distinguenda secundum sensum compositum et divisum. Sensus compositus est falsus, et est iste: haec est possibilis: 'cavit ne peccaret quando peccavit', supposita tamen significatione terminorum quae nunc est. Sensus divisus est iste: 'in hoc tempore potuit cavisse, et in hoc tempore peccavit', et est vera copulativa cuius utraque pars est vera. Et tunc ad argumentum, quando quaeritur an potuit cavere antequam peccavit, an quando peccavit, an postquam peccavit, dico: non potuit cavere postquam peccavit, sed antequam peccavit potuit cavere, accepta propositione in sensu diviso. Non autem in sensu composito, quia sensus compositus dicit quod potuit simul peccare et non peccare, et de virtute sermonis ista propositio est falsa: 'potuit cavere quando peccavit', praetendit enim sensum compositum; quia praedicatum appellat suam formam, ideo est neganda sine distinctione. Haec autem: 'quando peccavit potuit cavere', praetendit sensum divisum, quia signum temporale, scilicet 'quando', non ponitur a parte praedicati. Ideo potest absolute concedi. Concedo etiam quod ita bene se habuerunt antequam peccarent, sicut illi qui steterunt et non peccaverunt. Nec valet: 'isti boni non peccaverunt, isti mali peccaverunt; ergo ita bene non se habuerunt', quia sit 'a' mensura in qua peccaverunt; tunc non valet discursus: 'boni non peccaverunt; ergo ita bene non se habuerunt usque ad 'a' sicut alii', quia iste terminus 'peccaverunt' dependet a futuro. Et ita importat quod illi qui peccaverunt, cavebant in 'a', et ante 'a', et quia mali ita bene caverunt ante 'a' sicut boni, cum non peccaverunt; ideo non valet discursus factus.

Ad tertium, quando quaeritur an speraverat se consequi quod optabat etc., dico quod istud argumentum nititur probare errorem, vel ignorantiam praecessisse culpam. Et si dicatur quod primum peccatum angeli fuit ommissio confitendi, tunc error sequebatur peccatum. Vel potest dici quod appetierunt interpretative illud quod non sperabant, quia non distincte secundum primam responsionem appetierunt Dei aequalitatem, sed dilexerunt se, non referendo in Deum, et quia nulli debet competere se diligere non referendo se in aliud. Ideo, ut dicitur, interpretative aequaverunt se Deo, et illam dilectionem nullus actus assensivus praecedit, sed ex appraehensionibus et notitiis incomplexis causaverunt in se talem dilectionem.

Ad quartum potest dici quod simul angelus in illam dilectionem inordinata prorupit, et illam voluit aliis innotescere. Et sic per locutionem qualis est in angelis innotuit aliis. Nec tamen tentatio fuit illis quibus loquebatur, quia omnis tentatio causat in tentato difficultatem. Modo in illis nulla difficultas fuit causata per hoc quod eis suam deordinatam dilectionem manifestavit. Ideo dico quod ceciderunt sine tentatione.

Contra: si omnis tentatio affert tentato difficultatem, igitur primi parentes senserunt difficultatem antequam peccaverunt, igitur poena in eis praecessit culpam.

Ad hoc dico quod non omnis difficultas est poena, sicut nec omnis nescientia est poena. Et ideo stat quod fuisset difficultas in statu innocentiae, quia non possent habere opera virtuosa sine difficultate, cum virtus consistat circa difficile. Sed contra: tunc non erunt virtutes in patria, aut saltem oportet dicere quod manebunt in patria difficultates. Potest dici quod habitus virtutum ibi manebunt, sed non habebunt talem usum [312b] qualem modo habent, sicut dicit Magister, libro 3, distinctione 33, et Augustinus, 14 *De Trinitate*, capitulo 9.

Ad quintum potest dici, sicut ad formam Anselmi, quod angelus malus movit se ad male volendum volitione bona. Pro quo sciendum quod apud Anselmum voluntas accipitur pro instrumento, pro usu et pro affectione, sicut patet *De concordia*, capitulo 17, et *De libertate arbitrii*, capitulo 2. Nam vult dicere quod sine affectione commodi vel iusti non potest voluntas aliquid velle. Utraque autem affectio est bona, licet non voluntas utraque virtuosa, quia homo non potest velle commodum. Sic igitur potest dici quod angelus habens affectionem commodi concreatam per voluntatem ut instrumentum et istam affectionem cum notitia, movit se ad volendum inordinate, id est ad diligendum se sine relatione in Deum. Et sic omnia quibus movit se ad volendum inordinate fuerunt bona bonitate naturali, non morali, sicut patet quod omnia quibus homo committit homicidium sunt bona naturaliter, sed non fiunt naturali dilectione. Et sic non sequitur quod ante primam volitionem praecessit aliqua omnino distincta et mala volitio.

Ad sextum dico quod non est imaginatio Anselmi quod angelus ita movit se ad volendum per volitionem quae esset usus vel libera operatio voluntatis, quia sic omnem volitionem praecessisset aliqua volitio in infinitum, quod non est imaginabile, ponendo angelum creatum ex tempore. Sed vult dicere quod volitionem quae est usus, praecessit volitio quae est affectio concreata cum voluntate, quam vocat instrumentum. Et tunc ista tria: natura, affectio et voluntas causant operationem quam vocat usum. Et tunc, volendo affectionem commodi etc., concedendum est quod volitione recta movit se ad peccandum, sed ista rectitudo in angelis non est moralis rectitudo, sed potest vocari rectitudo quae est affectio concreata a Deo, sicut potest equivoce dici quod gravitas est rectitudo gravis.

Ad septimum dico, sicut videtur mihi, quod ipse habitualiter credebat quod, si peccaret, puniretur aeternaliter, sed non considerabat de hoc, delectatus nimis in propria nobilitate. Et quando arguitur: 'si praescivit, non potuisset voluisse unde miser esset', potest dici quod hoc est verum, si actualiter considerasset, et contulisset poenam sequentem ad culpam.

Ad octavum potest dici quod tanta intentione consideraverunt suam locutionem, quod non intenderunt ad poenam, sed tantum ad peccantem. Unde simul peccaverunt. Puto etiam quod valde improprie fuit eis occasio peccandi.

Ad nonum dico ad praesens quod in primo instanti suae creationis potuit peccasse, sed non potuit peccasse in primo instanti suae [313a] creationis. Primum patet, quia ante illud instans sui peccati Deus potuit eum creasse, et in illo instanti potuit peccasse. Unde primum instans suae creationis potuit fuisse ultimum instans sui peccati, quia Deus potuit eum creasse, et in instanti potuit peccasse. Secundum patet, quia recta ratio non est nisi respectu futuri, secundum Magistrum, libro 2, distinctione 25. Et ideo respectu primi instantis, vel respectu praesentis non est liberum arbitrium et, per consequens, libere causare non potuit actum malum in primo instanti. Dico tamen quod angelus bene potuit habere primo actum voluntatis malum, quia, posito quod Deus creasset angelum, qui stetisset in cognitione alicuius cognoscibilis per tempus sine quocumque actu voluntatis, sicut fuisset hoc satis Deo possibile, tamen post tale iudicium potest angelus elicuisse actum malum, et sic primus actus voluntatis illius fuisset malus; sed quod fuisset primus actus in primo instanti sui esse et malus includit contradictionem.

Ad rationes quando quaeritur: 'aut est dare primum etc.', dico quod potest concedi quod non est dare primum instans in quo potuit incipere peccare, nec est dare primum instans in quo potuit peccare. Et concedenda est haec conclusio, quod infinitis temporibus antequam peccavit, potuit peccasse.

Sed contra arguo sic: quaero an in primo instanti incepit peccare, an post primum instans. Si post primum instans, capio illud instans, et inter illud instans et primum tempus fuit tempus medium; tunc in illo tempore non peccavit. Si in primo instanti incepit peccare, tunc non fuit in gratia nisi per instans, unde non videtur quod libere potuit incipere peccare in primo instanti. Hic potest dici concedendo quod est dare primum instans in quo potuit peccare de facto, sive incepit peccare, licet non sit dare primum instans in quo peccare potuisset. Et concedo tunc quod in illo tempore medio diabolus bene voluit et meruit, sed, quia non perseveravit, ideo non praemiabatur nec praemiabitur, sicut dicit Anselmus, *De casu diaboli*, capitulo 3. Et in hoc simile fuit de eo et de homine praescito finaliter, qui ad tempus meretur, sed finaliter confundit totum. Sed adhuc difficile est videre quomodo incepit habere primum actum liberum, quia post primum instans verisimile est quod ipse habuit actum cognitionis vel cognoscendi et volendi. Et tunc potest dici quod in primo instanti sui esse incepit elicere primum actum voluntatis respectu Dei et sui actus, quia angelus non praecessit eum nisi per instans, et (ut ita loquatur) non fuit liber, sed naturalis. Et ideo per actum illum non meruit, nec demeruit, sed, isto casu stante, cognovit se fore liberi arbitrii, et habere praeceptum huiusmodi. Et tunc post aliquam brevem moram elicuit [313b] liberum actum. Tunc potest poni quod peccavit, nec oportet dicere quod nunquam meruit, quia illam dilectionem naturalem qua dilexit Deum et se habuit naturaliter et non libere, sed causaliter, sed istam deservit. Et ideo perdidit iustitiam naturalem. Sed de ista voluntate et de illa potestate dicit Anselmus quod voluit, sed non perseveravit et ab illa iustitia cecidit. Et tunc concedendum est quod fuit necessarium eum esse in gratia per tempus, sed per nullum tempus necessario fuit in gratia. Et similiter, sicut prius dictum est, concedendum est quod infinitis temporibus prius potuit peccasse quam peccavit, sed de facto fuit certum tempus inter instans creationis et instans lapsus, sicut est instans in quo intelligitur labi.

Ad secundum conceditur quod angelus potuit peccasse in primo instanti, quia etiam potest dici quod Christus non meruit in primo instanti suae conceptionis, sed incepit mereri.

Ad tertium dico quod consequentia non valet, quia ad contrahendum peccatum originale nullus actus liberi arbitrii requiritur.

Ad quartum conceditur quod homo potest peccare in primo instanti sui esse, per casum de creatione animae an corpus, sed hoc est per partem, scilicet quod homo peccat secundum ipsum quo primo peccat, sed non potest peccare in primo instanti sui esse.

Ad quintum, quando quaeritur: 'angelus in primo instanti habuit certam etc.', apparet mihi dicendum quod non, sed tunc incepit habere dilectionem et cognitionem. Et dicitur creatus in cognitione, quia in instanti creationis habuit omnia requisita ad principiandum in se actum cognitionis et dilectionis.

Ad decimum principale, quando dicitur quod angelus nunquam cecidit a iustitia quam habuit, dico, ut superius dixi, quod cecidit a iustitia naturali, licet forte nunquam cecidit a iustitia morali, quae est libere et iuste velle. Et concedo quod fuit debitor illius iustitiae, quia sicut voluit libere naturaliter a creatione, ita debuit libere continuasse et praevoluisse, et tunc fuisset confirmatus cum aliis. Ad undecimum dictum fuit superius.